Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1459
Quelle:
Copyright:

Ut celo uiuens calcansque necis dominatum
Multis ſumatur partibus atque locis,
Ipſe tamen nunquam loca uel partes patiatur;
Panis namque ſapor, fractio, forma, color
Non ſunt illius, qui corda fidelia per ſe
Paſcit, alit, mundat, munda beatificat.
Iſte ſuis ſimul omnibus undique pręſto ſit aris,
Sumitur atque piis undique pectoribus.
Sed ſacramentum, quod ab omni carne uidetur,
Mixtim pollutis ſumitur atque piis.
Rem uero ſummi dat conformatio chriſti,
Conformatur ei, quę docet ille, ſequens,
Pectore, voce, manu chriſti uerax imitator.
Hic rem percipiet, re datur ipſa ſalus.

Si Poemation iſtud *Paſchaſii* eſt, ut eſſe poteſt, a primo editore *Jobo Gaſtio*, annoque 1528. usque ad ultimos *ſupracitt.* annumque 1733. nemo in illud incidit. Verum ſi ad formulas *Aſſunt, non inſunt*, atque ad diſtinctionem *Sacramenti* et *Rei* advertas, ſubolebit tibi, pertinere illud ad Autorem *Tractatus* N. II. relati, atque adeo *Honorium Auguſtod.* vel ſaltem ad illius ſyſtema effictum eſſe. Cave vero, ad *Hildebertum Cenoman.* referas, deceptus *verſu* 1. qui apud hunc bis occurrit, niſi alterum Poema de Euchariſtia *Petri Bleſenſis* ſit, ad quem retulit *Job. Buſaeus*, ut *Bibl. PP. Lugd.* T. XXIV. p. 1271.

Adſcripta ſunt eodem aevo: *Symbolum Nicaenum*, et *Veſpera Defunctorum* cum aliquot Lectionibus *Job*, et ultimo hoc Reſponſorio: *Abſolue domine animam eius ab omni uinculo delictorum. non eam tormentum mortis attingat. non reorum catena conſtringat. ſed miſeracio tua in pacis eam ac lucis regione conſtituat. Queque ei fuerunt domine digne cruciatibus culpe tu eis mitiſſime dono pietatis indulge.* Quibus impoſitae ſunt vetuſtae Notae modulationis.

DCXXX.

Codex chartaceus germ. Sec. XVI. Folior. 24. 4. currente calamo exaratus idem eſt *Johannis Fabri* Ep. *Viennenſis* Foetus, quem *Parte III. Opp. Coloniae* 1539. *fol.* 134. f. latinum legimus titulo: *De admirabili catholicis quinque cantonum Heluetijs contra Zwinglianos a deo data victoria, conſolatorius liber vnus.* Et germanice quidem inſcribitur: *Droſt biechlin An allen frummen betrübten Chriſten des alten vngezweyffleten Heyligen chriſtlichen glauben, von dem wunderbarlichen vnd von gott ſeiner lieben vnd werden mutter Maria gegebenen vnd erlangten ſyg der fünff chriſten-* R. 1012